

15

D. D.
APHORISMI PHILOSOPHICI,
DE
**USU SCIENTIÆ
NATURALIS**
IN
OECONOMIA,
QUOS,

*Consensu Ampliss. Collegii Philosophici Reg. Acad.
Aboënsis.*

PRÆSIDE,
**DN. JACOBO
GADOLIN,**

SCIENT. NAT. PROFESS. REG. & ORD.
ECCLESIAE FENNICAE ABOENS. ANTISTITE,
REG. HOLMENSIS ACAD. SCIENT. SOCIO,

Pro LAUREA MAGISTERII

Publico examini submittit

**ISRAËL ALTAN, *Joh. Fil.*
OSTROEOTNIENSIS.**

IN AUDITORIO SUPERIORI.

DIE **XV.** JULII, AN. MDCCLIV.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

Clarissimo Domino CANDIDATO;
Affini Suo Honoratissimo,
DE
USU SCIENTIÆ NATURALIS IN OECONOMIA
Propediem disputaturo

Πρὸς ἑκάστην τῶν ἐπισκηνῶν ἀναγκαῖον τια τῶν ἄλλων συνέ-
δραμεῖν. Σύνδεσμοῦ γάρ τις ἀπαστῶν καὶ κοινωνία πέ-
Φυκεν ὡς αὐστῆρης, ὡς πολλὰ καὶ πολλάκις ἔξαιτεῖν ἢ λαμ-
βάνειν ἄλλην παρὰ τῶν ἄλλων. οὗτος δὲ ἔχεστον αἱ μὲν λο-
ποὶ τῶν ἐπισκηνῶν, μάλιστα δὲ ἡ ΟΙΚΟΝΟΜΙΚΗ. Πρὸς αὐτὴν
γάρ, Βασιλίσσης δίκην καθημένην, παιδίουματα πολλὰ ὡς ἐλά-
χιστον συμβάλλει μέρος. Καὶ ταῦτα ἐπὶ τῶν ἄλλων ἡ ΦΤΙΣΙΚΗ,
ηπεὶ τῇ ΟΙΚΟΝΟΜΙΚῇ τὰ συιχεῖα, τὰς ἀρχὰς, τὸν ὑπόθεσιν
καὶ σχεδὸν ἀπαντα χορηγεῖσι διατελεῖ. Αἰλατή δὲ ἀδε α-
πομηκύνειν τὰς λόγιες περὶ γάρ τατων πάνυγε συφῶς ἔξηγετο-
θαις ὁρῶμεν ὡς Φιλτρατε ΚΗΔΕΣΤΑ, τὴν παράσην ΣΟΤ διατε-
βήν, ὡς μάλιστα ἀπικειθωμένην. Εγὼ τοίνυν τῆς ἀρετῆς,
καὶ τῶν πεικοπῶν ἐπισήμων συνήδομαι, ἐπὶ δέ ΣΟΙ συγχαίρω

Δάφνης ἐυπετάλε, γέρατο τῶν ἐνέα κύρων,
Ἔπερ ἔξαπίνας κεφαλὰν ἐπί Σειο Καθίξει.

Sic gratulari voluit,
GABRIEL HOLMUDD,
Sublit. Præp. & Past. in
Lohtea.



APHORISM. I.



Erlatur Physica circa caussas phænomenorum omnium tradendas; quin etiam si quas detexit affectiones corporum generales & naturæ leges, seu constantes agendi conūctudines, permutato quasi itinere, ad nova phænomena ex hisce principiis deducenda regreditur. Cum autem vel Seneca teste, *rerum natura sacra sua non simul tradat, sed arcana in interiore potius sacrario clausa, atq[ue] nos in vestibulo ejus baerentes teneat, multaque seculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleverit, reservet*; hinc fit, ut partes scientiæ physicæ omnes, ad æqualem non sint perductæ perfectionis gradum. Quod itaque eas adtinet res physicæ, quarum minus latam, atque fortassis non nisi obscuram habemus cognitionem; in eo positum est studium physicæ, ut arcana naturæ quovis modo investigentur, quo tandem ejus usus in vita humana certissimus latissimusque fiat. Sunt omnia quotcunque in toto hoc universo occurrunt corpora physicæ considerationis, & tam late se diffundit studium physicæ, ac ipsa, quam pertractat, & cuius indolem enodare

A.

admititur

admititur, φύσις s. natura corporum. Hinc corpora cœlestia pariter ac terrestria objectum laudatæ constituunt doctrinæ. Igitur cum physica versetur circa corpora, quæ quidem in usus suos convertere satagit œconomus; quilibet modo debitam adhibere voluerit attentionem oppido perspicere potest, œconomum eo felicius officio suo fungi posse, quo melius ipsum, cum quo ei res erit, objectum ejusque naturam & indolem cognoscet, hoc est: quo majorem habeat physicæ genuinæ peritiam. Gaudet enim corpus quodlibet variis affectionibus & proprietatibus, quod itaque variis modis ad usum adipicari potest; & pro diversa indole, non solum diversum ex corpore usum capere licet, verum diversam quoque adhibere culturam juvat. Quod ut evidentius patescat, duas ponamus dari œconomorum species, alios videlicet esse theoretico practicos, alios solummodo practicos. De illis, qui theoriam cum praxi conjungunt, res est per se manifesta; qui autem pure practici sunt, nulla scientia physica adjuti, æque feliciter rem suam peragere forte hi quoque videantur. Quod si autem consideramus praxin istam non nisi majori temporis spatio sèpiusque repetitis experimentis addisci, atque conversatione cum practicis veterioribus augeri artem, nec non ex majorum traditionibus & regulis praxi confirmatis perfici; haud obscure hinc patet practicos istos consulam quandam sic adquirere rerum physicarum, quarum studio reapte occupantur, cognitionem. Licet namque

que practici hi litterarum studio excultum non habent ingenium, nihilo tamen minus fungorum ac stipitum instar omni ingenio penitus carere censendi non sunt; quin potius multa hi observarunt, quæ philosophis occasionem dederunt scientias perficiendi, atque multa etiamnum procul dubio praetoris cognita philosophos latenter, quæ ad horum aures postquam pervenerint, plurimus exinde & in scientias & artes redundabit usus. Ergo si confusa perceptæ conditiones rerum physicarum pure practicis haud contemnendum adferunt ulum; quis, nisi cum talpa cœcutire velit, dubitabit, easdem in altiori cognitionis gradu penitus intellectas, hoc est: in scientiæ formam redactas multo largiorem præstare messem? Quod si vero nobis hæc ipsa uno alterove exemplo festinanter comprobaturis in vasto scientiarum physicarum ambitu non nisi leviora obvenerint, quæ autem majoris sint momenti semet subtraxerint; est hoc ipsum, quod Lectoris Benevoli veniam mereri speramus.

APH. II.

SCientiam rerum physicarum in vita communi rebusque œconomicis minus necessariam esse vel eam ob causam nonnulli mussitaverint, quod multa præclara inventa experientiæ atque casui potius quam meditationi debeantur; quam vero dispalecant hæc phantasmata, in lumine quod inventa eadem forte accenderunt, conspici haud difficulter poterit. Exempli gratia telecopium inventum est fortuito conjunctis vitris concavo & con-

vexo; imo, quin vitrorum causticorum atque conspicillorum usus casu quoque detectus sit, multo minus dubitandum est. Verum quis tamen illa, qua post inventam refractionis theoriam exsplendescere scientia optica mox cœpit, luce obfuscari non videt eadem hæc utcunque illustria inventa? Aut quis sanæ mentis modernum tuborum astronomicorum vel terrestrium microscopiorumve adparatum admirandum, summamque utilitatem adeo vili pendat, ut scientiam quoque, sine qua neque horum instrumentorum tanta perfectio obtineri, neque eorumdem usus plene addisci potest, negligendam putet? Quis theoriam satellitum Jovis, quæ emendatis mappis hydrographicis homines a naufragio præservat, atque vel sic immennum navigationi commodum præstat, perspicillorum politoribus, non autem rerum physicarum peritis deberi dixerit? Sic quoque Aquilegis infelix conatus detexit, aquam per antlam ultra determinatum cubitorum numerum non attrahi & perpendiculariter elevari; sed quis scientiam barometri, integrum aërometriam ceteraque quæ ex occasione hujus observationis enata atque ad usus vitae humanæ adaptata sunt scientiarum augmenta, casui, non vero industriae imputabit? Quis, nisi forte ignarus, pyrotechniam contemnendam esse ideo judicaverit, quia stupenda pulveris pyri vis casu sit cognitus? atque sic in ceteris.

APH. III.

FAtemur observationes meteorologicas nondum præ-

præstisit iste omnem in rebus œconomicis usum, quem ab iisdem in posterum nobis haud immerito pollicemur; quorū pertinent illa tempestatum præfigia certiora atque diu desiderata. Imo, quomodo ne securis quidem temporibus desideriis nostris plene in hoc puncto satisfiat, ipsa naturæ humanæ conditio repugnat. Absit tamen ut quis easdem ceu inutiles proscribat, aut ex eo capite physicos vanæ curiositatis reos faciat, quod practici, quales sunt plebeji maris accolæ atque nautæ, haud pauca tempestatum prognostica, absque omni scientiæ physics ope, dudum cognoverint. Præterquam enim quod ad examen revocare ista, adeoque eorum usum tutiorem reddere valeant physici, plurima etiam detexerunt, quæ ne conjecturis quidem assequi vulgus imperitum potuisset. Sic exempli gratia quantitas annuæ pluviae comparata cum quantitate vaporum in aërem adscendentium nos docet, quæ sit ratio fontium, item quæ sit ratio æquilibrii inter vasta maria atque fluvios, stupendam in maris alveum aquæ copiam exonerantes; eadem simul nobis monstrat rationem construendi aquarum receptacula majora, atque ad res sive festivas sive ferias œconomicas rite accomodata.

APH. IV.

Plantas, calore atque æstu solis abundante largescere, pluvia vero decidente refocillari atque latari vulgaris experientia quemlibet condocet. Hinc hortulanis in primis ars aquandi atque irrigandi

gandi enata est. Porro: cum affusam sic aquam votis non sufficere haud raro deprehenderint, error hinc exortus atque evulgatus est, aquam pluviam in plantarum vegetatione infinitis paralangis præstare aquæ ex fontibus, stagnis, puteis, aut undecunque haustæ. Quanquam enim aquas aliis atque aliis particulis heterogeneis imprægnatas plus minusve hisce intervire usibus negandum non sit; interim tamen, si vel solam quantitatem respicias, non leve circa hanc rem subreptionis vitium committi, qui ad mensuram irrigationis utriusque tam artificialis quam naturalis attenderit. neque facile inficiabitur. Sic, quem supra laudes nostras positum veneramur, nostratum Medic. Prof. atque Doctor Celeberrimus D:rus JOHANNES LECHE, oblerationibus meteorologicis majori, quam vulgo id fieri solet, accuratione incumbens atque phænomena ad normam & rationem simul exigens obleravavit aquam pluviam unius digiti (hoc est, quæ si recipiatur valculo, cuius orificium atque fundus & æqualem amplitudinem, & situm horizonti parallelum habent, ad unius digiti altitudinem adscendit) intra breve satis temporis intervallum continuo deciduam vix ultra tres aut quatvor digitos in terram, qualis esse solet illa in hortis probe subacta, penetrare; atque hinc collegit, quam vana sit illorum querela, qui, dum exigua quavis aquæ putealis copia subito atque uno quasi ictu adjecta, non plene rigari hortos sentiunt, naturæ injuriæ quasi, atque aquæ adhibitæ minus salubri conditioni inteliciorem operæ suæ even-tum

tum tribuunt. Ponamus videlicet areolæ horti (Krhdd.
gårdsgång) quæ rectanguli altera parte longioris fi-
guram habere solet, unum latus esse orgyarum 4,
seu pedum 24, alterum vero latus pedum 4; pa-
tet aquam pluviam unius digiti, quæ in hanc areo-
lam cadit, continere 9600. digitos cubicos seu 9,
6. pedes cubicos. Est autem pes cubicus aquæ
quam proxime trium pondo seu 60. librarum;
ideoque eadem hæc aquæ copia erit librarum 576,
seu 28, 8. pondo. Itaque cum segnium olito-
rum humeri tantam aquæ copiam in tantillam
areolam ferre, atque lente, uti oportet, effunde-
re recusaverint, vel ex hoc exemplo intelligi fa-
cile poterit, quanti intersit, in œconomicis excul-
tum habere ingenium.

APH. V.

EX praxi etiam vulgus didicit construere infimæ
hortis molas aquarias, quas Svetice (qvælt-qvarn)
vocant. Qui vero vim aquæ decidentis cum ponde-
re ipsius comparare, ceteraque, quæ heic obveni-
unt, rite æstimare norunt, haud pauca nec exigua
machinarum istarum vitia notarunt. Reliquis scili-
cket, quæ heic moneri possent, omisis, axi verticali
infiguntur alæ, in quas versandas vis aquæ incur-
rentis sola, pondus vero non item agit; quod si au-
tem fiant molæ rotis instructæ, (hiul-qvarnar)/ in
quibus palmulæ, pondere aquæ simul pressæ, cir-
cumagantur, non simplici sed pluribus vicibus ma-
jor effectus semper obtinebitur, si modo effectus
maximos aucupari scite noverit artifex. Igitur, qui

modo usum molæ frumentariæ in rebus œconomicis non ignoraverit, neque exactam virium naturæ cognitionem ibidein usui esse temere negabit.

APH. VI.

Artem navigandi præcipuum esse, commerciorum fulcrum, res est manifesta. Ostendunt autem se heic mox atque occurrunt nautæ umbratilem quandam rerum mathematicarum cognitionem possidentes, qui, siquidem naves, vasto maris æquore sulcato, feliciter in portum adducere soleant, suo forte exemplo penitorem rerum physicarum peritiam superfluam fore, demonstrasse videantur. Quam vero sit hæc opinio insulta, multis ostendi posset argumentis, nisi pro ratione instituti res paucis expedienda esset. Hi nimis omnes procul dubio vitæ merciumque jacturam facient, aut saltem a via atque scopo turpiter aberrabunt, nisi instruantur subsidiis necessariis, quæ ipsis a phænomenorum cœlestium atque terrestrium scrutatoribus suppeditantur. Huc in primis referenda sunt, quæ de astronomia sphærica, telluris figura, ejusque affectionibus, fluxu & refluxu maris atque pyxide nautica ipsis cognitu necessaria sunt. Quin imo, licet his admirabilis dudum fulcita fuerit res nautica, nihilo tamen minus multa recentius inventa perfectiorem illam reddiderunt, atque plura etiamnum offeruntur, ex sublimiori physica repetenda. Exempli loco heic nominasse juvat excellens illud instrumentum optimum in Anglia inventum, quo siderum altitudines mari æque ac terra mensurare possunt nautæ, agitacione

tione maris, nisi admodum furat tempesta; exactitudinem observationum non turbante; itemque illum Triegwaldii nostratis Machinam ad promovendam auræ refrigerationem (Wälder-wäxlings-machine) excogitatam. Inter inventa atque desiderata medio forte loco ponenda est ars aquam marinam in dulcem commutandi, in qua detegenda physici multum laborarunt, quamque recentissime inventam esse novellæ publicæ personuere. Prostet præterea integra quædam scientia, quæ primo loco nominari meruisset, cuique *Manuariae Nauticae* nomen dederunt recentiores; quæ scientia, postquam ab iis, quorum interest, ad nūlum applicata fuerit, haud exiguae arti navigandi perfectionem allatura est. Scilicet cum navis sit corpus aquæ innatans, determinata gaudens figura, quod aut vento in vela irruente, aut remis agitatum, gubernaculo cursum dirigente, datis oneribus in optatum locum deducendis idoneum sit; de omnium harum rerum justa dispositione agit manuaria nautica. Hæc itaque explicat, quomodo navem comparatam esse oporteat, ut datum stabilitatis gradum consequatur; quod ipsum consideratu necessarium esse vel exinde patet, quod baculus aquæ perpendiculariter immisus, licet in hoc situ, si summa sit tranquillitas, persistere possit, vel minima tamen accidente vi oblique agente, prolabatur; at contra alia corpora aquæ incumbentia statum suum æquilibrii ita teneant firmiter, ut etiam si inde declinentur, tamen continuo eo revertantur. Deinde exponit, quomodo conformanda sit
navis,

navis, ut minimam ab aqua resistentiam patiatur; ut celerrime provehi queat; ut ad cursum contra ventum instituendum accommodata sit; ut facilissime actioni gubernaculi obtemperet; ut numerus, altitudo, atque situs malorum, itemque velorum copia ita assignentur, ut navigatio optimo successu institui queat; ut, pugnantibus forte inter se diversis hujuscemodi requisitis, eadem tamen omnia conjunctim sumta inter se concilientur, quantum rei natura permittit. Cuncta haec, quae maximi omnino momenti esse nemo, nisi qui talpa coecior fuerit, facile negaverit, hactenus neglecta atque praxi cœcæ relicta, Manuaria nautica porro sic enodat, ut varium datæ navis cursum ex cognitis impulsionum legibus, quæ aëri & aquæ competunt, pro diversa positione carinæ, velorum obliquitate ac magnitudine, ventorum vi &c. perspicere cuilibet licet; imo in genere ex caussis physicis seu a priori Hæc tradit multa quæ hactenus per diuturnam experientiam non nisi paucissimi quoad partem & confusa solummodo atque dubitanter, aut non absque periculo erroris cognoscere potuerant.

SOLI DEO GLORIA.

